

ILLVSTRISS. VIRO AC  
DOMINO GEORGIO SYLVIO,

*Eruditionis ornamentis exculto, omni nobilitate &  
virtute longè præstantissimo,*

Frater Hector Pintus Doctor Theologus  
salutem, & æternam felicitatem.



**V**IVOS Excellenti ingenio præditos dicere so-  
litos legimus nobilissimè vir, nunquam se mi-  
nus otiosos esse, quàm cum otiosi, nec minus  
solos, quàm cum soli essent. Duæ res quæ de-  
fidia & inertia solent animos inficere, illos ad  
præclara facta, & ad statuenda posteris illustra-  
monimenta excitabant, otium, & solitudo. Quicquid pote-  
rant habere temporis, relictis omnibus & publicis & priuatis  
actionibus, in studio veritatis inquirendæ consumebant. Sed  
inter omnes illi eminent, qui virtutum præsidio muniti in di-  
uinarum literarum studium incubuerunt, quò possent excelsa  
Dei mysteria, sole ipso splendidiora, mentis oculis intueri. Est  
enim scientia sacræ scripturæ coelestis illa Philosophia, qua ani-  
mi recreantur, & ad æternitatem aluntur. Hæc est virtutum in-  
dagatrix, expultrixque vitiorum, quæ medetur animis, inane  
solicitudines detrahit, impiis cupiditatibus liberat, vitæ  
tranquillitatem largitur. Quare vitæ cursus bene, & ex præ-  
ceptis eius confectus, est vniuersæ mundi prosperitati ante-  
ponendus. Id animo perspiciens diuinus ac regius vates, cum ps. 118.  
beatum ait, qui in lege Domini meditatur die atque nocte. psal. 118.